

constitutis, provenire debentes non in specie et colore uti premissum, sed more alias ab antiquo scilicet consueto ab eisdem recipere et exigere debeatis, secus in premissis nullo modo facere presumentes; et hoc idem iniungimus futuris Decimatoribus et Dicatoribus, Exactoribusque Decimarum earundem firmiter observari; presentes quoque perfectas reddi iubemus presentanti. Datum Agrie Sabbato proximo ante Festum Beatorum Cosme et Damiani Martyrum. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo sexto. Unde nos petitionibus prefatorum Johannis, Viti et Anthonii de Kwpyncz, in ipsorum et aliorum quorum supra nominibus et in Personis, nobis porrectis favorabiliter inclinati, prescriptas litteras domini Sigismundi Regis presentibus litteris nostris patentibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transumi et transcribi facientes, eisdem Regni nobilibus duximus concedendas. Datum in Zenthghewrgh in festo Beatorum Cosme et Damiani Martyrum predicto Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo.

(Locus sigilli a tergo impressi.)

Orig. membrana in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 11.

CXXIX.

1412. 3. Februarii. Budae.

Sigismundus Rex modum solvendae Banis a civitate Tragurio tergovinae (tributi) determinat.

Sigismundus etc. fidelibus nostris Magnifico viro Petermanno de Medwe, Regnorum nostrorum Dalmatie et Croatiae Bano, vel Vicebano eiusdem, nec non tributarijs eorundem, vel aliorum quorumcunque in tributis dicto Banatui peruenire debentibus constitutis; Item Banis vel Vicebanis constituendis, alijs etiam cuiusvis status, dignitatis seu conditionis hominibus, huiusmodi tributum tenentibus et habentibus, quibus presentia innotuerint, salutem et gratiam. Ex querela nobilis viri fidelis nostri sincere dilecti Nicolai Petri Micacij de Tragurio, Ambassadoris consilij, Rectoris et Communitatis dicte Ciuitatis nostre Tragurii, in persona eorundem nobis porrecta, intelleximus displicenter, quod vos tributum vulgo Tergovinam, vobis ratione dicti Banatus prouenire debens, contra antiquam consuetudinem et priuilegiatam libertatem dicte Ciuitatis nostre Tragurii, non ibi et in eo loco, vbi prius seu antea exigere et recipi solitum fuisset, sed in pertinentijs ipsius Ciuitatis Tragurii et quandoque in ea-